



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Pastorum Concionatorumque Instructiones

Borromeo, Carlo

Coloniae, 1587

VD16 B 6753

Carolvs S. R. E. Tit. S. Praxedis Cardinalis, Dei, & Apostolicæ sedis gratia
Archiepiscopus Mediolani: vrbis, diœcesis, prouinciæq[ue] Mediolanensis
concionatoribus, Salutem in Domino.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51263)

INSTRVCTIONES
 PRAEDICATIONIS
 VERBI DEI.

CAROLVS S. R. E. TIT. S.
 PRÆDICI CARDINALIS, DEI,
 & Apostolicæ sedis gratia Archiepiscopus Me-
 diolam: vr̄bis, diœcesis, prouinciæq; Mediolanen-
 sis concionatoribus, Salutem in Domino.

PRAEDICATIONIS verbi Dei of-
 ficiū in Ecclesia sancta tāti illud
 sanè est, vt ad Dei gloriam, & ad
 cœlestis regni propagationem, & ad anima-
 rum salutem plurimum intersit, nō solum
 quales sint, qui præstantissimo illo munere
 fungūtur, verū etiam qua via, quaue ra-
 tione illud præstent. Quare superioribus
 annis eo de genere nos decreta aliqua in
 concilio prouinciali primo confecimus:
 deinde alia concilio item prouinciali ter-
 tio; tum alia etiam quarto adiunximus, ad
 rectam illius sacræ prædicationis discipli-
 nam. Verū quo accuratius, vberiorique
 spiritali fructu Concionatores tantæ rei
 munus administrarent, atque exequeren-
 tur; nos de Episcoporum prouincialium,
 qui præsentēs in eo tertio concilio adfue-
 rant, sententia, & assensu, instructionem
 gra-

grauissimæ illius functionis, quæ vniuersæ
 nostræ prouinciæ vsui esset, per nos illis
 edendam decreuimus. Itaque certis regu-
 lis, quas partim ex ijsdem nostris concilijs,
 partim ex sapientum virorum, sanctorum
 quæ hominum disciplina, partim ex opti-
 morum concionatorum vsu accepimus, il-
 lã, Deo iuuante, confecimus: in eaque con-
 cionatoris imaginem, si minus omnibus
 numeris absolutã, perfecteque expressam,
 at certè aliquo modo adumbratam, ijs om-
 nibus & singulis proponimus, qui vel pro
 pastorali officio, vel pro ratione datæ fa-
 cultatis, munus prædicationis in vrbe, dice-
 cesi, prouinciaque Mediolanensi nostra
 obeunt. Multa sunt, quæ ad concionandi
 rectum officium pertinent; sed eatantum
 breui complexi sumus, quæ oportuniora
 videntur, quæque concionandi rationibus
 accommodatiora concionatorem adiuua-
 re, atque ad ea in primis instruere possunt,
 quæ proposuimus. Hæc enim si ad vim illã
 diuinam, quam sacrarum litterarum ver-
 bis Spiritus sanctus in seuit, rectè acces-
 rint: vix dici potest, quàm facile, cælesti in
 primis ope, non modò bonorum mentes
 ad omnem partem pietatis, religionisque
 inflammentur; verùm etiam malorum, &
 peccantium durissima corda infringatur,
 animique hominum sceleratorum, tene-
 bricosa

bricosa vitiorum nocte circumfusi, suauis-
 sima luce veritatis collustrentur. Huius
 igitur instructionis regulis cum illi omnes
 & se, suumque officium, & ceteras actiones
 conformare debeant; tum verò, vt id ipsum
 omni studio iisdem præstent, in sua quis-
 que diœcesi Episcopus prouinciæ nostræ,
 decreti etiam prouincialis auctoritate, cu-
 rabit. Verum, quò instructio hæc omnis, ad
 singulas prouinciæ partes rectiùs accom-
 modata, eo vberiore pietatis fructum fi-
 delium animis afferat; ab vnoquoque pro-
 uinciali Episcopo aliquid ei, præterquam
 illa, quæ decretis nostris prouincialibus
 speciatim, sigillatimue cauta sunt, addi, de-
 trahi, rursusque mutari liceat, prout ex Ec-
 clesiæ, diœcesisue suæ vsu viderit. Et verò
 nos sicut diligentiam, quam eo in genere
 Episcopi prouinciæ ponent, magno his in-
 structionibus adiuuato fore arbitramur:
 ita non dubitamus, quin ex studio, quo ad
 eas ipsas exequendas concionatores vten-
 tur, spiritualia illa commoda existant, quæ
 vehementer expetimus, cum ad Dei
 gloriam, tum ad animarum salu-
 tem procurandam.

E DE